Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2075

Quelle:
Copyright:

in miſſarum officijs deputaſſe noſcatur &c. Injunctum ſibi ait Scriptor opus ab eo, *cui non poſſumus denegare*, et ita ab Epiſtola *Dom. I. in Adventu: Hora eſt iam nos de ſompno ſurgere* &c. orditur. Extrema ſunt: *vt ſicut dyabolus per prudenciam deceperat ita per prudenciam decipietur.*

II. *fol.* 121. *Expoſicio ſuper apocalipſin magiſtri Richardi de ſancto Victore.* Extat in Edit. *Opp. Colon.* 1621. P. II. p. 300. 4. *Libris* VII. ſed in editis non adſunt praefixa Libris Summaria, quae in *Codice* habentur. Prooemii initium eſt: *Accipe itaque frater kariſſime ſententiarum munus* &c. Et totius tractationis finis: *qui nec loco capitur, nec tempore mutatur, immenſus eternus, qui eſt deus benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.*

Laus tibi ſit chriſte quoniam liber explicit iſte

III. *fol.* 205. Brevis Hiſtoria *Vitae Chriſti* e IV. Evangeliſtis conflata, quae incipit: *In principio erat verbum* &c. finit: *ſedetque a dextris patris dei. Marci vlt. Luce vlt.* et etiam *Cod. Univ.* 138. indicata eſt.

DCCCXLIII.

U. 2228 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 233. f. magnifice nigro, rubroque exaratus, literis initiorum deauratis, picturatisque ſplendidus, et olim Bibliothecae Epiſcopatus *Neoſtadienſis*, *Pontificale* eſt duabus Partibus conſtans, quarum Prior Titulis XXXIII. Ritus conferendi ſacros Ordines, variarum Conſecrationum et Benedictionum, et Ordinem majoris Hebdomadis docet, praemiſſo ab alia manu ordine romane eccleſie quomodo debet pontifex celebrare. Multa hinc inde per margines addita et ſubpleta ſunt pro varia ejusmodi Ritualium ratione et ad calcem legitur: *Anno domini M°. CCC°. vndecimo. quinto. Idus. Marcij. perfectus eſt liber iſte in argentina. per heinricum ſcriptorem dictum wartenberg.* Eccleſiam, ſive Epiſcopatum, in cujus uſus iſtud Rituale deſcriptum fuit, fortaſſe quis eliciat e nomine. S. *Ruphinae*, quod in Litaniis *fol.* 144. p. 2. invocatur. Pars altera Praefationes Miſſales notis muſicis illigatas, Miſſae Canonem pagina adpingendo *Chriſto* cruci adfixo vacua deſtituta, Benedictiones Epiſcopales, Altaris Conſecrationem, Miſſas varias et Benedictionem Paramentorum ſacerdotalium complectitur, atque hac Parte Literae quibusdam locis, neſcio qua labe, ſatis evanuere.

DCCCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. H. 3 XV. Folior. 365. f. per duas columnas eleganter exaratus, Iconibus IX. ſacra Epiſcoporum munia exhibentibus, plurimisque aliis marginum et literarum picturis ab arti-